

requiruntur ut conditiones necessariæ ad hoc, ut valeat Papæ indultum. *Communis.* (22. Sufficit tamen, si semel visitetur, et approbetur, et licentia obtineatur ab ordinario loci, id est ab episcopo vel ejus vicario, seu delegato, seu a vicario capitulari, Sede vacante. *Communis.*

(23. Ordinarius adinveniens oratorium præditum omnibus requisitis in indulto, tenetur approbationem, et licentiam concedere, quia non habet potestatem limitandi concessionem Summi Pontificis, et si injuste deneget, vel semel concessam sine justa causa revocet, potest cogi ab archiepiscopo et aliis superioribus, ut eam concedat. *Communis.* (24. Ex justa tamen causa, ut si deficient requisita, potest eam non concedere, et concessam revocare, donec oratorium sit decenter instructum omnibus in indulto requisitis. *Communis.*

(25. Privata oratoria post primam visitationem in concessione et approbatione, non possunt amplius de jure visitari ab episcopo, nec ab eis potest exigi procuratio, quia cum non sint loca sacra, aut religiosa, imò nec pia, ut censuit Abbas in cap. ultimo *De censibus*, num. 1, et Fagnan., *ibidem*, num. 2 et 29, et *ibid.*, in *Opusculo de grangiis* numer. 2, 9 et 23; card. Petra, *loc. cit.*, num. 58; Pignatell., tom. I, consult. 93, sub num. 24, circa medium, jam non videtur ex quo capite episcoporum visitationi subjaceant, ut notant Fagnan., *loc. cit.*, card. Petra, *loc. cit.*; Ventriglia in *Prax.*, tom. II, annot. 19, § unic., num. 19; Pignatell., *loc. cit.*, num. 24, circa medium, ubi expresse dicit: « Nam licet oratorium privatam visitetur, quando primo conceditur licentia, non tamen continuatur jurisdictio episcopi ad illud visitandum, cum privatam sit; unde de facto non visitatur. » Cap. final. *De censibus*, juncto cap. 26. § *Deinde*, eodem tit., in 6.

(26. Tamen licet episcopus non possit tanquam visitator ad dicta oratoria privata accedere, permissum est ei nihilominus videre (saltem quando præcedit accusatio, vel denuntiatio, aut fama publica, quod oratorium indecenter teneatur, et in ipso non adsint, seu non servantur requisita in indulto), an revera indecenter teneatur, et non servantur dicta requisita. Tunc enim episcopus potest procedere super crimine in judicio actu visitationis, vel denuntiationis, aut inquisitionis, secundum ea quæ leguntur in cap. *Qualiter et quando* 24, *De accusationibus*. Et sic potest accedere ad oratoria privata, ut videat an constet de corpore delicti, scilicet, an vere inibi deficient requisita in indulto, et sine debita reverentia sacrificium missæ celebretur; et sic providere, ut opus fuerit. Innocentius, in cit. cap. ultim. *De censibus*, post principium, Abbas antiquus, *ibidem*, num. 2, et Abbas Siculus, *ibidem*, in fine ubi sic ait: « Et credo, quod, licet episcopus non possit visitare hujusmodi oratoria, ut sic, tamen

possit ad illa accedere, ut videat quomodo se habeant, et si præter formam juris constructa sint, et an honeste tractentur. » Pignatell., tom. I, cit. consult. 93, num. 24, circa medium, ubi sic dicit: « Cui, scilicet episcopo, non competit proprium jus visitandi oratoria privata, licet possit ad illa accedere, ut videat quomodo se habeant, et an bene tractentur; » ut pariter distinguit Fagnan. in d. cap. ult., num. 25, *De censibus*; Thomas del Bene, tom. II, cap. 16, sect. 12, dub. 11, num. 6; Castropal., et alii apud ipsum. Et idem Pignatell. tom. VI, consult. 98, num. 39., ubi sic habet: « Illudque visitare amplius potest ultra primam vicem, ut cognoscat, an manuteneatur in eo statu, in quo debet esse, ut in ipso possit celebrari. » Et sic concordat etiam Fagnan., in cit. cap. ultim., *De censibus*, disceptat. *De grangiis et eorum oratoriis*, num. 25.; card. Petra, *l. c.*, num. 60; Barbos., *De jur. eccles. univers.*, lib. II, cap. 8, num. 15; Ventriglia in *Praxi*, tom. II., annot. 19, § unic., num. 19, et alii.

(27. Episcopi non possunt concedere licentiam celebrandi in oratoriis privatis: ibi enim missæ non possunt celebrari, nisi de licentia Summi Pontificis, ut sac. congreg. Concil. respondit archiepiscopo Bononiensi, die 10 Mart. 1615. Et eadem sacra congregat. Concilii de mandato SS. D. Pauli V die 25 Octobr. 1615 irritavit licentias omnes celebrandi in oratoriis privatis ab episcopis concessas, et expresse prohibuit, ne hujusmodi licentias concedere auderent, et novissime in decreto Clementis XI, adducto *supra* sub n. 5, ubi prohibetur quod ne quidem ipsi episcopi possint celebrare in oratoriis privatis contra formam ibi præscriptam (152).

(28. Imo episcopi neque possunt concedere licentiam domi celebrandi, ut infirmus pro viatico communicetur. Sic expresse Fagnan., cap. *In his* 30, *De privileg.*, n. 13, ubi refert sic declarasse sac. congregat. Concilii respondendo eminentissimo cardinali Paleotto, et iterum respondendo eminentissimo cardinali legato Portugalliæ; et sic tenet eminentiss. cardinalis Petra, *loc. cit.*, n. 15, et alii.

(29. Potest tamen episcopus concedere licentiam erigendi oratorium in domo privata, et inibi per modum habitus semper celebrandi; dummodo tale oratorium habeat publicum ingressum et egressum, quia tunc, posito ingressu publico, et egressu patente in publicam viam, illud oratorium censetur publicum; adeoque propria auctoritate potest designari ab episcopo ad divinum cultum, et ad celebrationem sacrificii. Ita Aversa, *De sacrific.*, q. 11, sect. 14, § *Quinto poterant*; Naldus, Homobon. Pasqualig. et alii, quos citant et sequuntur Diana part. IX, tract. 1, resolut. 21; Quarti, *loc. cit.*, dub. 5, difficult. 6, et alii passim.

(30. Privilegium oratorii durat, durante vita illius, cui facta est concessio, eoque mortuo, finitur, nec transit ad hæredes, quia

est privilegium personale, quod finitur morte personæ privilegiatæ; l. *In omnibus*, ff. *De regul. juris*, et cap. *Privilegium*, *De regul. juris*, in 6. Unde, mortuo privilegiato, nequidem familia ipsius agnatio eo amplius uti potest, quia non conceditur personaliter familiæ, sed accessorie, quatenus trahit ad participandum in privilegio domini, et ideo cum cesset privilegium quoad dominum, cessabit etiam quoad familiam; cap. *Qualibet*, *De election.*, et l. *Nihil dolo*, ff. *De regul. jur.* Et sic tenent doctores communiter, juxta praxim ac stylum curiæ Romanæ non permittentis hujusmodi privilegia transire ad successores, non obstante dicta clausula, *ac de ipsius ordinarii licentia, ejus arbitrio duratura*. Nam ista clausula ponitur, non ad extendendam concessionem, sed ad illam modificandam, quatenus sit duratura ejus arbitrio, intelligendo de arbitrio prudentis et boni viri, qui illam possit revocare ex justa causa, juxta dicta *supra* n. 24, et docent Sanchez lib. VII *Concilior.*, cap. 1, dub. 55, n. 7; Tamburin., *Opuscul. de sacrific.*, lib. II, cap. 4, § 4, n. 16; Quarti, *l. c.*, dub. 5, difficult. 2; card. Petra *l. c.*, n. 31; Pignatell., cit. consult. 98, n. 52; Amostaz, *De causis piis*, lib. V, cap. 10; n. 83; Pasqualig., q. 626, n. 2, et alii passim.

(31. Mortuo Summo Pontifice, qui concessit, vel ordinario, qui oratorium semel approbavit, non perit oratorii concessio, quia est gratia facta, quæ non cessat, mortuo, vel amoto ab officio, qui eam concessit. Unde mortuo episcopo, non est opus alia licentia et approbatione novi ordinarii; Pignatell., t. VI, consult. 98, n. 53; Quarti, *loc. cit.*, dub. 5, difficult. 1, et alii communiter, arg. cap. *Si cui* 6, *De præbend.*, in 6, ibi: « Hujusmodi concessio (quam cum specialem gratiam contineat, decet esse mansuram), non expirat, etiam re integra, per obitum concedentis. » (32. Imo indultum oratorii non perit, mortuo pontifice concedente, etiamsi ante ipsius mortem nondum fuerit ab ordinario approbatum, et executioni demandatum; Pignatell., *loc. cit.*, n. 54, et alii passim, arg. cap. *Si super gratia* 9, *De offic. delegat.*, in 6, ibi: « Ipsa gratia, licet nondum sit in ejus executionem processum, morte non perimitur concedentis; » et cit. cap. *Si cui* 36, *De præbend.*, in 6. « Non expirat, etiam re integra, per obitum concedentis. »

(33. Quinta clausula: *Unam missam pro unoquoque die*, clare demonstrat non posse ibi celebrari, nisi unam missam pro quolibet die, ut novissime fuit etiam declaratum in cit. decret. Clementis XI, adducto *supra*, n. 5, ubi prohibet omnibus sacerdotibus, et etiam episcopis, ne ibi celebrent, postquam fuerit jam celebrata illa unica missa, quæ in indulto conceditur, et obligat celebraturum diligenter inquirere, et se optime informare, an jam ibi celebrata fuerit dicta unica missa, quæ in indulto conceditur. (34. Unde tam celebrans, vel celebrare faciens in dicto oratorio alteram missam, et

plures, peccat mortaliter; quia delinquit in re gravi contra expressam Summi Pontificis inhibitionem. Quarti, *loc. cit.*, dub. 6, et ipso teste, alii communiter.

(35. Sexta clausula: *Dummodo in eadem domo celebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri concessa non fuerit*, aperle ostendit quod in eadem domo nequeunt esse plura oratoria, et quod idem oratorium nequit suffragari quoad satisfaciendum præcepto audiendi missam pluribus dominis distinctis, ad invicem non subordinatis, aut pluribus familiis, si forte plures sint in eadem domo. *Communis.* (36. Unde si in eadem domo sint duo domini cum suis distinctis familiis, et uterque impetraverit indultum oratorii, is, qui posterior impetravit, non potest eo uti, durante indulto prius pro eadem domo impetrato, ut constat ex relatis verbis, et notant Tamburin., *Opuscul. de sacrific.*, lib. I, cap. 4, § 4, num. 20; Quarti, *loc. cit.*, dub. 7, et alii communiter. (37. Cessante autem primo indulto, incipit valere secundum impetratum pro eadem domo; quia tunc tollitur impedimentum, quod ejus validitas impediatur, et continuatur causa dans validitatem, nempe voluntas Pontificis ad totum tempus, pro quo datur privilegium, seu indultum, ita ut tunc incipiat privilegium, seu indultum tanquam tunc, et non antea concessum, juxta l. *Si incertus* 1, § 1, ff. *De legatis* 3, ibi: « Quasi nunc datum; » et juxta tradita per *Gloss.* in cap. *Non firmatur*, *De regul. juris*, in 6; Calderin. consil. 2., num. 3, *De constitut.*; Pignatell., tom. VI, cit. consult. 98, num. 66, et alii.

(38. Si autem plures familiæ habitent in domo divisa in plures partes, potest pro qualibet habere locum privilegium, seu indultum oratorii; dummodo partes tales sint, quæ habeant cubicula, et alia loca pro officinis et aliis domesticis usibus sufficientia pro habitatione familiæ, ita ut in qualibet parte sint ea, quæ ordinarie requiruntur pro constituenda una domo, nihilque officiat, quod habeant ingressum communem, atrium commune, et aulam principalem communem; per textum in l. *Si quis duas* 6, § 1, ff. *Communia prædiorum*, ibi: « Quod et in ædibus potest dici, si dominus, pariete medio ædificato, unam domum in duas dividerit (ut plerique faciunt); nam et hic pro duabus domibus accipi debet. » Sic Pignatell., cit. consult. 98, num. 61, cum aliis ibi citatis.

(39. Item si domus pluribus solaris constet, nempe superiori, et inferiori, et in ipsis constituentur diversæ habitationes, in quibus habitent diversæ familiæ, erunt diversæ domus juxta diversitatem solariorum, sive domus superioris, sive inferioris, vulgo *appartamento di sopra e di sotto*, ut ponderant Castr. in cit. l. *Si quis duas* 6, § 1, in fine, ff. *Communia prædiorum*; Cavalcan. decis. 19, num. 52, 54 et 61, p. 2; Carpan., *Ad stat. Mediolan.*, cap. 434, num. 32; Pignatell., *loc. cit.*, n. 62, et Rota coram Merlini, decis. 411. n. 11. Et ratio est, quia in

(152) Confer tamen decreti illius declarationem, quæ n. 70 affertur.

ter has portiones domus adest sufficiens divisio, necesse communicatio in actu inhabitandi inter familias inhabitantes, quod sufficit, ut censeantur domus diversae in ordine ad fruendum multiplici privilegio oratorii privati.

(40. Septima clausula: « Per quemcumque sacerdotem ab ordinario approbatum saecularem, seu de superiorum suorum licentia regularem », indicat, sacerdotem ibi celebraturum debere habere a suo respective superiore approbationem, saltem generalem, et licentiam saltem tacitam, seu non prohibitionem ibi celebrandi. *Communis*. Ut enim notat Pignatell., *loc. cit.*, num. 84, dicta clausula est apposta, ne privilegiati possint facere celebrare per quemcumque sacerdotem exterum, et qui non habeat licentiam celebrandi in diocesi, ob vitanda ea inconvenientia, quae sequerentur, si sacerdotes exteri absque licentia diocesani celebrare possent in diocesi. (41. Unde si quis ex rationabili causa positive inhiheretur a suo respective superiore, graviter peccaret ibi celebrando, quia tunc cum non verificaretur conditio exacta a Summo Pontifice, nec pariter suffragaretur indultum concessum sub tali conditione, et sic perinde esset ac celebrare in loco inepto contra voluntatem Pontificis, et sui respective superioris, quod est grave peccatum. Quarti, *loc. cit.*, dub. 8, et alii passim. (42. Non requiritur tamen pro ibi celebrando licentia parochi, quia parochus, nec est ordinarius, nec habet jus prohibendi. Quarti, *loc. cit.*, dub. 8; Diana, part. ix, tract. 1, resolut. 15; cum aliis ibi citatis.

(43. Octava clausula: *sine iurium parochialium praedictio*, denotat, quod in his privatis oratoriis non potest exerceri ullum munus parochiale sine licentia ordinarii aut parochi. *Communis*. (44. Hinc non possunt ibi exigi decimae, primitiae, seu oblationes, quae de jure debentur parochi; nec potest ministrari sacramentum Eucharistiae tempore paschalis sine licentia parochi aut ordinarii, nec denunciari matrimonia, aut benedici puerperae, et alia hujusmodi ad parochum spectantia: et qui similia ibi perageret sine licentia saltem tacita, graviter peccaret, nisi excusaretur ratione parvitas materiae. Tamburin., *Opuscul. de sacrific.*, lib. 1, cap. 4, § 4, num. 24 et seq.; Diana, part. ix, tract. 1, resolut. 15, cum aliis ibi citatis, Quarti, *loc. cit.*, dub. 9, cum Molles, Pellizar. et Quintanadven. ibi citat.

(45. In his privatis oratoriis potest ministrari sacramentum poenitentiae et Eucharistiae, si id non sit per specialem aliquam constitutionem expresse prohibitum. *Communis*. (46. Imo Diana, part. iv, tract. 4; Suarez, *De religion.*, tom. IV, lib. ix; Rodriguez, tom. I, quæst. 61, art. 3; Pellizar, part. iii *Respons. moral.*, cap. 39; Quintanadv., in *Theol. moral.*, tom. I, tract. 7, singul. 33, num. 8, et alii, tenent posse regulares in oratoriis privatis eucharistiam extra festum Paschalis ministrare, etiam episcopis con-

traditentibus, et prohibentibus, eo quia habent privilegium Pauli IV de anno 1557, ad dandam Eucharistiam saecularibus extra proprios conventus. (47. Recte tamen mement Diana *loc. cit.*; Lezana, in *Summa*, tom. III, verb. *Eucharistia*, num. 11 et alii, consultius esse, si regulares, contradicentibus episcopis, non ministrent, cum hoc etiam consulat Sixtus IV quoad usum amplissimi privilegii concessi ordini Praedicatorum ad administrandam Eucharistiam saecularibus, ut patet in bulla incip. *Sedis Apostolicæ*. * Sed hæc corrige ex iis quae adducuntur infra sub num. 94 in novissima encyclica Benedicti XIV, praesertim a § 20.

(48. Sacerdotes autem saeculares non possunt ibi ministrare Eucharistiam, nisi de licentia saltem praesumpta, et tacita episcopi vel parochi, quae licentia facile praesumi potest; praesertim cum communio eorum, qui missae intersunt, pertineat ad id sacrificium, et cum eo connexionem habeat; unde olim, qui missae intererant, semper communicabant. Sic Tamburin., *Opuscul. de sacrific.*, lib. 1, cap. 4, § 4, num. 34 et sequentibus, cum aliis ibi citatis, Quarti, *loc. cit.*, dub. 9, et alii.

(49. Nona clausula: *Exceptis diebus Paschalis, Resurrectionis, Pentecostes, et Nativitatis Domini nec non aliis solemnioribus festis diebus*; excipit quaedam solemniora festa, in quibus non licet in oratoriis privatis missam celebrare. Et talia festa decreto sac. cong. Rit. 17 Novemb. 1607 sunt: Nativitas D. N., Epiphania, Pascha, Pentecostes, Annuntiatio et Assumptio B. M. V. festum SS. Petri et Pauli; et ex dec. sac. cong. Concilii emanato in *Dertonen*. 17 Februarii 1683, lib. xxxiii, fol. 100, etiam festum S. titularis ecclesiae loci. Sic apud Monacell., tom. II, tit. 13, formul. 1., n. 19 et 20; tom. IV *Supplement. ad II tom.*, n. 485.

(50. Hinc, si quis in dictis festis exceptis celebret, vel celebrari faciat in oratoriis privatis, graviter et dupliciter peccat; primo, quia contra gravem prohibitionem summi Pontificis celebrat, vel celebrari facit in loco pro talibus festis excepto; secundo, quia non satisfecit praeepto audiendi missam, ut expresse declaratur in citato decreto Clementis XI adducto supra n. 5. Sic Diana, part. ix, tract. 1, resolut. 13, cum aliis ibi citatis, Quarti *loc. cit.*, dub. 10, et alii passim.

(51. Decima clausula: *In tua, et familiae tuae praesentia celebrari facere*, designat personas, quae in indulto comprehenduntur, seu continentur, quae sunt pater, mater, uxor privilegiati, filii, filiae, nurus, gener, et nepotes, alique agnati, et affines, dummodo habitent cum ipso indultario, seu privilegiato, et ipsius sint commensales. *Communis*. (52. Non autem famuli ac famulae, quia nomine *familiae suae* veniunt solum agnati, ut dixit Rota in *Rom.*, seu *Bononien. protectoriarum* 20 Aprilis 1671,

§ *Clarius*, et § *His tamen*, coram Albergato; aut ad summum cognati; card. de Luca *De jure patronatus*, discours. 25, n. 2 et 3. Tum quia famuli et famulae, qui sub nomine familiarium continentur, ex Barbosa allegat. 96, n. 1 et 4 expresse excluduntur, et exceptuantur a Papa in ipso indulto per clausulam separatam, et distinctam, ibi: « Volumus autem, quod familiares servitiis tuis tempore dictae missae actu non necessarii, ab obligatione audiendi missam in ecclesia diebus festis de praeepto minime liberi censeantur; » quae alias frustranea, otiosa et illusoria esset, et illico induceretur correctio, et contrarietas, quae semper est vitanda, maxime quando verba sunt clara, ut hic, prout in terminis litterarum Papae observat Rota coram Coccino, decis. 2338, n. 5 et 6. Si enim ipsi familiares servitiis indultarii tempore dictae missae actu non necessarii non liberantur ab obligatione audiendi missam in ecclesia diebus festis de praeepto, stat clarum, quod non comprehendantur in indulto; et familiares actu necessarii suis servitiis tempore dictae missae satisfaciunt praeepto solum contemplatione ipsius indultarii. Sic expressae tenet, et solide probat ex multis Monacell., tom. II, formul. 12, tit. 13, n. 32 et sequentibus, et tom. IV *Supplement. ad II tom.*, n. 486 et seq.; Matthaeuc., *Officialis curiae* cap. 10, n. 75, et plures alii; tum etiam, quia in modernioribus brevibus solet poni hæc clausula: « In vestra, ac natorum, consanguineorum et affinium vestrorum praesentia ». Unde jam sic cessat difficultas, et stat clara responsio.

(53. Unde sequendi non sunt doctores contrarium scribentes et docentes, posse famulos et famulas sibi celebrari facere missam, eamque audire, et praeepto satisfacere in oratorio privato sine praesentia personarum, quarum contemplatione concessum est indultum; oppositum enim expresse declaratur in cit. decreto Clementis XI, ibi: « Vel absque praesentia personarum, quarum contemplatione gratiosa concessio emanavit. » Sic supracitati doctores, La Croix lib. vi, part. ii, n. 272, et alii passim, qui post dictum decretum scripserunt. (54. Possunt tamen missam celebrari sibi facere, eamque audire, et praeepto satisfacere in oratorio privato sine praesentia domini omnes illi, qui sunt de familia agnata, et cognata indultarii, dummodo habitent cum ipso indultario, et ipsius sint commensales; et ratio est, quia in indulto non explicatur praesentiam domini esse necessariam, et illa verba *In tua, et familiae tuae praesentia* possunt reddere sensum disjunctivum, vel *in tua, vel familiae tuae praesentia*, seu non solum *in tua praesentia*, sed etiam *familiae tuae*; tum quia sicut dominus potest sibi celebrari facere sine familia, non obstante particula conjunctiva *et familiae tuae*, ita poterit familia sine domino. Et revera sic servat praxis communis, ut passim absente domino, qui sunt ex dicta ejus familia, audiant missam in oratoriis privatis. Sic te-

nent passim doctores, et a fortiori tenere debent Pellizzarius, Aversa, Castropal., Quintanadv., Pignatell., Diana, Quarti, et alii dicentes id posse etiam famulos et famulas sine praesentia domini. Nunc autem quoad supradicta, attendenda est novissima dispositio Benedicti XIV in constitutione incipient. *Cum duo*, ubi statuit, non licere celebrare missam in absentia domini, ac praesente sola familia, etiamsi praesens sit aliquis sive ex filiis, sive ex consanguineis, sive ex affinibus, sive ex familiaribus, sive demum ex hospitibus nobilibus, decernens non posse vigore similis indulti celebrari missam in privatis oratoriis, quando eidem missae actu non intersit aliquis ex iis, quibus principaliter indultum concessum est. Indultum vero principaliter concessum intelligi debet iis tantum, quibus breve dirigitur, nimirum personis illis, quae a tergo ejusdem brevis proprio nomine nuncupantur. Et de facto oratorium privatum, in quo missa celebrabatur absente domino, cui indultum principaliter fuerat concessum ab episcopo, fuisse valide suspensum rescripsit sac. congregat. Concil. in *Marsicen. oratorii* die 3 Decemb. 1740, ad dub. 2.

(55. Pater, mater, filii ac filiae, fratres et sorores privilegiati, eorumque uxores, ac viri non gaudent tali privilegio, si habitent in eadem domo, sed vivant suis propriis expensis; quia nomine familiae veniunt solum, qui sunt familiares; praedictae autem personae non sunt familiares, quia in ipsis deficit conditio necessaria ad constituendam familiaritatem, nempe commensalitas, juxta cap. *Sicut nobis*, De verbor. significat., in 6, sine qua destruitur familiaritas, quamvis habitent in eadem domo materiali; quia cum vivant propriis expensis, et habeant omnia servitia; et suos domesticos seorsim a familia privilegiati, non communicant in habitatione cum ipso, sed constituunt familiam et habitationem omnino distinctam a privilegiato; Pignatell. cit. consult. 98, num. 95, et alii communiter.

(56. Undecima clausula: *Nec non hospitum tuorum nobilium praesentia*; denotat, quod duplex conditio debet concurrere, nempe quod sint hospites, et quod sint nobiles. *Communis*. (57. Non requiritur tamen in istis nobilitas ex genere, quia indultum dicit tantum nobilitatem, non autem ex nobili genere, unde sufficit quaecumque nobilitas sive ex genere, sive ex privilegio, sive ratione matris tantum, sive ratione dignitatis, seu gradus, sive quocumque alio modo conveniat hospiti ad verificandam qualitatem nobilitatis requisitam, cum sufficiat ut appellari possit aliquo modo nobilis. Pignatell., cit. consult. 98, num. 100; Tamburin., *Opuscul. de sacrificio missae*, lib. 1, cap. 4, § 4, num. 32; Monacell., tom. IV *Supplement. ad tom. II*, num. 492, et alii passim.

(58. Hospitum autem appellatione veniunt illi, qui domi commorantur tanquam extranei recepti a domino, qui quidem sunt commensales, sed ex occasione temporanea, et

ad certum tempus. An autem hoc privilegium extendatur ad hospites unius diei et ejusdem civitatis, seu loci, qui ab indultario invitantur ad prandium, vel ad spectaculum, et similia? Variant doctores. Affirmativam enim tenent Pignatell., cit. consult. 98, num. 101; Tamburin., l. c., num. 33; Pellizzarius, in *Manual. regular.*, tom. II, tract. 8, cap. 2, sect. 2, qu. 12, num. 150, et alii, quia, dicunt ipsi, revera hi quoque sunt hospites; imo insuper addunt, posse virum nobilem de industria invitari ad hunc finem, ut possit in dicto oratorio audire missam, quia uterque, tam invitans, quam invitatus utitur jure suo, nec fraudem committit: quia sic solum redditur habilis vir nobilis, ut gaudere possit privilegio. Negativam tamen sententiam docent Quarti, l. c., dub. 2; Diana, part. ix, tract. 1, resolut. 6, et alii plures apud ipsum volentes quod nomine hospitem non comprehendantur habitantes in eadem civitate, seu loco, sed aliunde advenientes, quia indultum oratorii, cum disponat contra jus commune, stricte, et non ample est interpretandum. (59. Qui veri sunt hospites, si ex aliquo accidenti absit die festo indultarius, possunt sibi facere celebrari missam, eamque audire, et præcepto satisfacere in dicto oratorio absque præsentia domini, propter dicta supra num. 54 (153). In modernioribus autem brevibus solet poni hæc clausula *In hospitem tuorum nobilium præsentia*, solum pro oratoriis ruri existentibus.

(60. Duodecima clausula: *Volumus autem, quod familiares servitiis tuis tempore dictæ missæ actu non necessarii, ibidem missæ hujusmodi interessentes, ab obligatione audiendi missam in ecclesia diebus festis de præcepto minime liberi censeantur*; aperte demonstrat quod illi familiares qui non sunt actu necessarii servitiis domini tempore dictæ missæ, non satisfaciunt ibi præcepto, quamvis ejus expensis vivant et commensales sint. Necessitas autem servitii in dictis familiaribus requisita non debet esse physica, et quoad missam, quia certe privilegiatus tempore missæ nullo indiget, nisi sit infirmus graviter, sed respectu domini, et quidem spectata necessitate morali, considerando non solum decentiam, seu conditionem dominorum et dominarum, ne soli, vel solæ remaneant domi, et debito comitatu priventur, sed etiam domus, ne remaneat derelicta a domesticis. (61. Sic card. Petra, tom. II *Commentar. ad constit. 8 Honorii III*, n. 63; Pignatell., cit. consult. 93, n. 107 et 108, et alii.

(62. Advertendum tamen, quod cum die 30 Julii 1706 in *Auximana oratorii privati* transcripta fuisset in folio dicta clausula brevis nempe: « Volumus autem, quod familiares servitiis tuis, etc. » et propositum fuisset in sacra congregatione Concilii sequens dubium: « An in vim dicti brevis satisfaciunt præcepto missæ in diebus festis omnes famuli commensales, vel quinam in

(153) Emendanda tamen ex illis quæ eodem num. ex Benedicti XIV constitutione tradita sunt.

casu? » rescriptum fuit: « Dilata juxta mentem, et mens fuit, quod orator peteret declarationem a Papa » Sicque patet, sacram congregationem Concilii noluisse apponere manum propter satis claram mentem Papæ in dicta clausula expressam. Sic apud Monacell., t. IV *Supplement. ad II t.*, num. 487.

(63. An capellanus seu sacerdos electus ad celebrandum in oratorio privato, et minister inserviens satisfaciunt præcepto audiendi sacrum diebus festis ibi celebrando, et respective ministrando? Variant doctores. Pignatellus enim, tom. VI, cit. consult. 98, n. 97, sic præcise habet: « Quod autem ad capellanum, quando contingit in oratorio celebrare, non potest satisfacere præcepto audiendi missam in oratorio illius, cujus est capellanus, si salarium tantum percipiat pro celebrando, absque eo quod in celebratione inserviat domino, sed habet tantum onus celebrandi; potest autem, si sit additus servitio domini, ita ut celebret, et dominus, aut familia habeat commoditatem audiendi missam. Tunc enim est in servitio domini, et cum recipiat salarium, vivit expensis ipsius, ac proinde concurrunt conditiones necessariæ, ut sit vere familiaris. » Rosignolus autem, *De eucharistia*, q. 8, art. 12, n. 16, absolute apponit quemlibet sacerdotem electum ad ibi celebrandum satisfacere præcepto, et utitur hoc fundamento ad probandum satisfacere etiam ministrum ei inservientem, quamvis talis minister non esset ex privilegiatis per diploma, et existerent alii privilegiati, qui possent et vellent sacro ministrare; quia dicit ipse, sicuti sacerdos electus ad ibi celebrandum satisfacit, non est cur non satisfaciat minister electus ad ministrandum; et sicuti potest eligi hic, vel ille sacerdos ad missam celebrandam, ita potest hic, vel ille minister eligi ad inserviendum; tum quia minister inserviens sacro sortitur privilegium, et conditionem celebrantis; sic ille citans pro se Dianam, lib. ix, tract. 1, resolut. 17.

(64. Ast tamen, quamvis sit verum quod satisfaciat sacerdos celebrans, et minister inserviens, quando non adest inter privilegiatos qui possit et velit ministrare sacro, cum, concesso principali, intelligatur concessum et accessorium, quod ex dispositione juris, vel ex natura sua necessarium est ad ipsum principale consequendum, ut verificatur de sacerdote electo a privilegiato ad ibi celebrandum, et de ministro in casu quo non adsit privilegiatus, qui possit et velit ministrare sacro: non sic autem de ministro non privilegiato in casu, quo adsit inter privilegiatos qui possit et velit ministrare sacro; quia ipse non est accessorius ad consequendum ipsum principale concessum, cum sine ipso possit æque bene ministrari sacro per alium privilegiatum, qui potest et vult, in nostra suppositione, sacro ministrare; tum quia, cum de jure com-

muni, in cap. 1, cap. *Sicut*, et cap. *Unicuique*, dist. 1, De consecratione, et juxta mandatum concilii Tridentini, sess. xxii, decret. *De evitand. in celebratione missæ*, missa sit celebranda et audienda in ecclesia, indultum oratorii privati tanquam odiosum et præjudiciale cultui divino, est stricte et non late interpretandum. Fagnan., in cap. *Non licet*, n. 13 et 14, De præbend., arg. cap. *Odia* 13, De regul. juris, in 6, adeoque nequit extendi ad non privilegiatos, et ad ministros non necessarios.

(65. In oratorio privato, in quo ex justa causa ab Apostolica Sede conceditur facultas celebrandi missam in die Nativitatis Domini, tres missæ, non autem una duntaxat ab eodem sacerdote celebrari possunt. Sac. cong. Conc. in *dubio oratorii privati*, 20 Jan. 1725.

(66. Habens bullam Cruciatæ non satisfaciunt præcepto audiendi missam in privato oratorio; per bullam enim Cruciatæ non conceditur facultas habendi tale oratorium privatum, neque commissarius bullæ potest eam licentiam concedere, sed solus Papa. *Communis*. Privilegium enim bullæ Cruciatæ circa oratoria privata fuit sublatum per concilium Tridentinum, sess. xxii, cap. 3, in decreto *De observandis et evitandis in celebratione missæ*, et per decretum congregationis jussu Pauli V editum die 25 Octob. 1613. Atque in hac specie declaravit sac. congreg. Concilii die 14 Novembr. 1648 ad preces archiepiscopi Calaritari per hæc verba: « An privilegium bullæ Cruciatæ pro hujusmodi oratoriis, altaribus ac missarum celebratione in dicta diocesi possit suffragari; item an quatenus dictæ capellæ sub decreto sacri concilii, nec non dicto decreto Pauli V et litterarum prohibitione comprehendantur, et bulla Cruciatæ non suffragetur, liceat archiepiscopo contra sacerdotes tam sæculares, quam regulares in iisdem capellis celebrare volentes post edictum archiepiscopi publicatum, seu intimatum, procedere, et quibus pœnis illos punire? » Sac. Congregatio respondit: « Privilegium bullæ Cruciatæ non suffragari. Item licere archiepiscopo contra sacerdotes tam sæculares, quam regulares, in iisdem capellis celebrare volentes post edictum archiepiscopi publicatum procedere etiam ad pœnas censurarum. » Sic refert ex Fagnan., Pignatell., t. VI, cit. consult. 98, n. 117.

(67. Oratoria, quæ sunt in aulis publici palatii civitatis, ubi senatores conveniunt, sunt privata, adeoque opus est indulto Summi Pontificis, ut ibi celebrari possit. Sic declarasse sacram congregationem Concilii refert Diana, part. ix, tract. 1, resolut. 35, et ex ipso Quarti, l. c., dub. 3, difficult. 2. (68. Non comprehenduntur autem in decreto tollente oratoria privata, capellæ carcerum publicorum. Unde potest in ipsis quolibet die celebrari, et ab omnibus ibi missam audientibus satisfieri præcepto audiendi missam diebus festis, cum ipsæ capellæ censeantur oratoria publica. Diana, l. c.; Quarti, l. c.; La Croix, lib. vi, par. II,

n. 164, et alii. In decreto enim concilii Tridentini cit. sess. xxii, cap. 8, tollente oratoria privata, comprehenduntur duntaxat oratoria in particularibus domibus existentia. Sic declarasse sacram congregationem in *Florentina* 1 Septembr. 1615, et in *Cornimbricen.* 1 Julii 1615, refert Barbosa in cit. cap. 8, sess. xxii, concilii Tridentini, n. 21, et in *Summa Apostolic. decis.*, verb. *Oratorium*, n. 2; et Sellius, in *Selectis canonice.*, cap. 18, n. 25.

(69. Item non comprehenduntur in decreto tollente oratoria privata, capellæ et oratoria existentia in propriis palatiis, et domibus propriæ habitationis episcoporum, sive sint in diocesi, sive extra; et inibi missam audientes satisfaciunt præcepto de audienda missa diebus festis, ut respondit sacra. congreg. Concil. 22 Septembr. 1640, in *Nullius*, lib. vi *Decret.*, pag. 421, et præcedenter 17 Aug. 1630, lib. xiv *Decret.*, pag. 147. (70. Etiam si sint episcopi titulares. Ead. sac. congreg. Concil. in *Valentina* 1616, apud Monacell., tom. II, tit. 13, formul. 2, in *Annotat. ad decretum communis quotidianæ*, n. 1, et *ibid.*, eod. tit. 13, formul. 2, n. 31, in princip., ubi dicit, quod hoc privilegio eis concesso in cap. final. *De privilegiis*, in 6, et non revocato ut supra, nequeunt uti extra domum propriæ habitationis ex decreto Clem. XI adducto supra n. 5. Quod tamen debet intelligi juxta novissimam declarationem Innoc. XIII constitut. incip. *Apostolici ministerii*, § 22, ibi: « Declaramus tamen quod cum in prædicto decreto statuatur non licere episcopis, extra domum propriæ habitationis, in domibus laicis erigere altare, ibique sacrosanctum missæ sacrificium celebrare, sive celebrari facere, hujusmodi prohibitio intelligenda non sit de domibus etiam laicis, in quibus ipsi episcopi forte occasione visitationis, vel itineris hospitio excipiantur, ut nec etiam quando episcopi in casibus a jure permissis, vel de speciali Sedis Apostolicæ licentia absentes a domo propriæ ordinariæ habitationis, moram idcirco faciant in aliena domo per modum similis habitationis, his enim casibus licita iis erit erectio altaris, ad effectum prædictæ celebrationis, non secus ac in domo propriæ ordinariæ habitationis. » Quæ quidem Innocentii XIII constitutio confirmata est quoad omnia, et singula, a felicis recordationis Benedicto XIII, in sua constitutione incipiente *In supremo*.

(71. Item non comprehenduntur in decreto tollente oratoria privata capellæ et oratoria cardinalium, qui statim ac sunt promoti ad hanc sublimem et eminentem dignitatem absque alia expeditione indulti, non per viam extensionis, sed comprehensionis includuntur in dispositione cap. final. *De privilegiis*, in 6, ut ad longum probat Fagnan. in cap. *Quod nonnullis*, a num. 6 usque in finem, *De privilegiis*; cardinales enim sunt dignitate et officio majores episcopis, ut expresse declaravit Eugenius IV constit. incip. *Non mediocri*, et Leo X constitut. in-